

inæqualis sit 12. pars diei artificialis, seu noctis, & dies naturalis sit spatium ex die artificiali & nocte compositum, quantumcunque dies & noctes sint inæquales, tamen semper duæ horæ inæquales, una diurna & una nocturna, duab. horis æqualibus diei naturalis respondent.

QVA HORA SOL AVT QVÆVIS STELLA oriatur aut occidat, aut ad meridiem perueniat. Item quæ dies & noctes inter se sint æquales, quique dies arcus diurnos & nocturnos habeant æquales dignoscere. **Propos. XIII.**

Quod si ortum solis aut stellæ alicuius scire cupias, circumvoluto reti, gradum solis vel cacumen stellæ propositæ super horizontem orientalem, siue rectum, siue obliquum statue, linea fiducia gradui solis superposita, ostendet in limbo horam, qua tunc sol aut stella proposita orietur. Quod si scire cupias, qua hora sol aut stella aliqua occidat, gradum solis, aut cacumen stellæ ex parte occidentis in horizonte statue & regula super gradum solis posita, ostendet in limbo horam occasus. Ut in Exemplo: si scire velis, qua hora sol oriatur & occidat 29. April. accipe in dorso Astrolabij gradum solis, qui est 8. tauri, quo relato ad horizontem orientalem, regula ipsi applicata, ostendet in limbo hor. 5. matut. posito verò ad occidentalem horizontem, ostendet hor. 7. & præterea 3. gradus, quibus respondent 12. min. sic ead. die Aprilis, si scire velis qua hora oriatur Arcturus, posito apice stellæ ex parte orientis, & regula super 8. gradu tauri, in quo sol tunc moratur, ostendet ortum eius hora 4. & 8. min. P. M. Posito verò ex parte occidentis, ostendet eius occasum hora 7. antemeridianà & 12. min.

Quod si gradum solis, aut cacumen stellæ alicuius in meridiano colloques, linea eidem gradui solis superposita, ostendet

D 3. in lim-